

tissimi fratres (S. Martinus cons. 4, conc. Lateranen- A
sis), cum Deo descendamus ad visitationem, id est,
inquisitionem sermonum eorum, et confundamus
per approbationem verissimam ibidem linguas eorum,
elevatas contra scientiam unigeniti Filii Dei, et iniqui-
tatem in altitudinem humanitatis ejus loquentes. *Dis-*
rumpamus vincula eorum per gladium spiritualem,
quod est verbum Dei, et *projiciamus a nobis jugum*
ipsorum (Ps. 11), per expugnationem profani sensus
illorum. Tunc enim ipse quoque Dominus *irridebit*
eos et subsannabit et tunc loquetur ad eos in ira sua,
et in furore suo conturbabit eos, (Ibid.) secundum
B. Jeremiam, dicens: *Falso prophetæ isti vaticin-*
antur in nomine meo. Non enim misi eos, et non
præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem men-
dacem et divinationem, et fraudulentiam, et seductio-
nem cordis sui prophetant vobis. Ideo hæc dicit Do-
minus de prophetis, qui prophetant in nomine meo men-
dacium: Erant projecti in viis Jerusalem. et concule-
atio omnium pie confitentium me, et non erit qui sepeliet
eos (Jerem. xiv). Nemo enim se abscondere potest qui-
busdam subreptionibus commentitiis, sicuti nec foliis
fisci antiquus transgressor præcepti Adam potuit, qui
per propriam linguam inverecunde nudatur. *Laqueus*
enim fortis viro, labia ejus: et captus propriis sermo-
nibus, et opere manuum ejus: retributio autem labio-
rum ejus dabitur ei, et impietatis reprehensio. Arguam
te, inquit, et stutuam contra faciem tuam. Existimasti
inique, quod essem tibi similis. Propterea, sicut dicit
Dominus ad Gedeon, *deponamus eos ad aquam teræ*
discretionis, et probemus eos ibi regulari examinatione,
in idipsum pronos corruentes (Gen. 31; Prov. vi; ps.
xlix; Judith vii), post ostensionem prævi intellectus
eorum, utrumne sint apud se sapientes, divini verbi
scientiam ignorantes; quoniam *dicentes esse se sapien-*
tes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam (Rom. 1)
catholicæ ecclesiæ propria novitate et voluntate, sive
per ea, quæ illicite in ejus defensione gesta sunt, hæ-
reticam turbulentiam introducentes, illud competen-
ter ad nos retinentes, quod bene ad Jesum filium Si-
rach dictum est: *Usque ad mortem certa pro veritate,*
et Dominus Deus pugnabit pro te. (Eccl. iv.) Hujus rei
gratia, universalis vobis a Christo Jesu commissa
est ecclesia, ut pro omnibus laboretis, et cunctis
opem ferre non negligatis: quia *dum fortis armatus cus-*
todit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.
(Luc. 11). Ideoque tanta urgente necessitate, summo-
pere comprimite vestra summa auctoritate infestos,
relevate oppressos, ut absque gravi, Domino opitu-
lante, difficultate ipsi grantanter omni tempore sacri-
ficare mereamur illæsi. *Et subscriptio: Æterna te ser-*
vet Divinitas per multos annos, sanctissime Patrum
Pater. Amen. (Justin. 11, ad Joannem V, papam.)

EPISTOLA

LIBERII PAPÆ AD ATHANASIAM ET EPISCOPOS
ÆGYPTIOS RESPONSORIA.

(Conc. l. 11, col. 765.)

Contra perturbatores pacis et quietis ecclesiarum, et tales
qualiter puniendi.

Dilectissimo filio Athanasio, et omnibus in unum congre-
gatis, et de Trinitatis fide recte sentiantibus Ægyptiorum
episcopis, Liberius papa.

Olim et ab initio tantam (S. Leo. ep. xxiv) perce-
pimus a B. Petro apostolorum principe fiduciam, ut
habeamus auctoritatem pro universali Ecclesia, ad rec-
tam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statu-
tum sanctæ Ecclesiæ commovere, ad læsionem recte
credentium, absque sui periculo honoris. Epistolam
siquidem vestram, nobisque directam, ante nos reci-
tari fecimus, tribulationes et persecutiones, quas pro
recta fide patimur intelleximus. Super quibus et nos
una vobiscum condolemus, et laborare pro vobis, ut
pater pro filiis, parati sumus. Fidem vero nicæni
concilii in eadem epistola rectam reperimus, super
qua et Deo gratias uberrimas retulimus, pro qua non
solummodo persecutiones et passiones sustinere vo-
biscum parati sumus, sed etiam si necesse fuerit,
mori pro Christi nomine, in quantum nostra sunt
fragilitas, non respicimus. Igitur prædictum sanctum
concilium, ut legimus, definit nicænum (Maximus
aquileiensis conc. iv conc. Later. anno 649 celebrati),
aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere vel
componere, aut sapere vel docere aliter, nec quid-
quam in fide sentire, aut proferre, quod his Patrum
regulis possit obviare. Qui autem præsumpserit com-
ponere aliam fidem aut proferre, docere vel tradere
aliud symbolum, ad viam veritatis converti deside-
rantibus de quacunque hæresi, vel ex Judæis, vel ex
paganis Christianos se fieri volentibus, hi si episcopi
fuerint, aut clerici, alienari quidem episcopos ab
episcopatu, clericos a clero: si vero monachi, aut
laici fuerint, anathemate feriri. Protestatur (S. Mar-
tinus cons. v, ejusdem concilii) etenim beatus Apo-
stolus, dicens: *Si quis certat, non coronatur, nisi legi-*
time certaverit. Et iterum Dominus ait: *Qui autem*
perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (1 Tim.
vi, Matth. x). Videlicet, certaminibus sacris propositis
nobis, pro defensione catholicæ ecclesiæ, magnaque
salute: ex hoc sperata ab omnium honorum datore
Deo, non deficient manus nostræ, dilectissimi fra-
tres, per occasionem cujuslibet desidiæ, dissolutæ: sed
fortes efficiamur per gratiam Domini atque virtutem
potentiæ ejus, *quoniam perfecit pedes nostros tamquam*
cervorum (Psal. vii), et super excelsa firmius satuit
intellectum summæ ejus humanitatis propter nostram
salutem, maxime tantam habentes impositam sanc-
torum testium nubem. *Deponentes ergo omne pondus*
et circumstantem adversariorum novitatem, per patient-
iam curramus, aspicientes in auctorem fidei et consum-
matorem Jesum (Hebr. xii), qui in proposito nobis
propter eum negotio, spiritum nobis suæ veritatis

condonet, loquentem in nobis, atque perhibentem A magnalia fidei per doctrinam sanctorum Patrum, quos adversarii calumniantur quotidie. In prophetis namque (*Idem sanctus Mart. cons. III*) habetur: *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egredietur ut splendor jussus ejus et salvator ejus ut lampas accendatur (Is. LXII)*. Profectio catholica Ecclesia, quæ vera consistit Sion, et civitas Christi cælorum regis per tot annorum spatia expugnata ab aversantibus verba fidei, qui neque Deum timent, neque hominem reverentur, sed incassum perducentibus piis et canonicas de hoc verbo doctrinas, dum a diversis tantisque, scripto et sine scripto, contestationibus invitati fuissent corrigere propriam et a se pellere hæresim, sicuti et per anteriorem cognitionem luculentius demonstratum est, tam per libellos, quam per suggestiones reverendissimorum sacerdotum, et venerabilium abbatum, apostolo protestante nobis, ut *hominem hæreticum post primam et secundam correptionem evitare debeamus, scientes quia hujusmodi subversus est, et delinquit proprio judicio condemnatus (Tit. III)*, nullo modo oportet nos deinceps tacere, aut quiescere, ne quoquo modo iniqui judicemur, odibilem Deo pacem amplectentes: quoniam scriptum est: *Zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns*: et dicat etiam de nobis: *Sacerdotes mei contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum et profanum non habuere distantiam, inter pollutum et mundum non intellexerunt (Psal. LXXII; Sopho. III; Ezech. XXII)*: sed consurgere cum Deo, et consistere prompte, induentes arma C spiritus, adversus malignantes contra fidem ejus, ut approbemus spiritus sapienter, id est, verba eorum, si ex Deo sunt. Scriptum est enim in Jeremia: *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis viam eorum (Jer. VI)*. Multa namque nobis necessaria est vigilantia; et tanta divinæ sapientiæ rimatio, quæ occulta tenebrarum revelat, ad requisitionem hujusmodi rei et scrutationem, quoniam latet quodam modo et absconditur, visque comprehenditur dolosa existens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiatur, ut valeat scrutantium mentem latere. Quod utique sciens beatus Apostolus ait: *Nam hujusmodi pseudoapostoli et operarii subdoli, transfigurant se in apostolos Christi (II Cor. XI)*. Sed non mirum, quoniam et ipse *Satanas transfiguratur se velut angelum lucis*. Et ideo non mirum, si ministri ejus transligantur, velut minister justitiæ, quorum finis secundum opera eorum. Sed et Dominus in hoc præmunens nos, ait: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos (Matth. VII)*. Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quæstione deprecationem, et

dicentes cum David: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua: Lucerna enim pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis; quoniam ipsius est, sicut ait B. Daniel propheta, sapientia et fortitudo. Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est, qui sapientiam, inquit, et fortitudinem didisti mihi, et ostendisti mihi, quæ rogavi te (Ps. CXV; Dan. II)*, cum ope divina, uniuscujusque personæ conscripta eorum, qui pro novitatis commento accusati sunt, de venerabili scrinio nostro obsecrantibus, et nobis rationabiliter offerentibus solertius intendamus; ita ut qui hæc præstuperint prævaricari, primum quidem subjaceant judicio terribili omnipotentis Dei, deinde autem qualemcumque (*Typus Constantii Aug. cons. IV, conc. Later. sub sancto Martino*) regalem indignationem revereantur, per quam, si quidem episcopi aut clerici sunt, a sui sacerdotii, sive a cleri sui ordine modis omnibus excidant: si autem monachi sunt, segregentur, et alieni sint de suis locis. Si autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis. Si autem sunt privati, si quidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur. Si autem ignobiles, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur: ut omnes timore Dei compressi, et comminata eis digna supplicia reverentes, immobilem et sine turbatione pacem sanctarum Dei ecclesiarum custodiant. Data rom. VIII Kalendarum Junii, Aselepio et Deodato viris clarissimis consulibus (*Consules ficti ad libitum*). Gloria Christo Jesu Domino nostro; pax vobis. Amen (1).

DECRETA LIBERII PAPÆ,

Desumpta ex codice vetusto 16 librorum, lib. XIII, cap. 9.

Quod in diebus jejunii nulla jurgia esse debeant.

In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus et opere necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones et lites quadragesimæ tempore faciunt, et qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in diebus jejunii vestri inventur voluntas vestra; et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunitis, et percussit pugno impie.*

EJUSDEM CAPITULE DECIMO.

Ut in sacris diebus jejuniorum conjugati a conjugibus se abstineant.

Abstinentum est in his sacratissimis quadragesima

(1) Consules huic epistolæ superadditi, eam de fide suspectam arguunt: nusquam enim eorum nomina fastis alibi adscripta invenire potui. Ultimo loco hanc epistolam unicam in tomis conciliorum prioris editionis extantem huc retuli: quia anteriores omnes secundum ordinem temporum collocavi. Hæc si a

Liberio scripta est, eam vel sub Juliano vel sub Valente scripam fuisse oportuit. Est enim responsoria ad epistolam Athanasii, qua scribit, se ab Ariano ad mortem quotidie quaeri. Sitne utraque a hasasi ad Liberium, et contra Liberium ad Athanasium, suspectæ fidei, doctores judicent. SEVER. BERTH.